

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 942

**Auteur(s) :** Patrice, Bayeux (archidiacre)

**Bénéficiaire(s) :** Hugues d'Amiens, Rouen (archevêque)

**Bénéficiaire(s) :** Rouen (chapitre cathédral)

**Genre d'acte :** lettre

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1156, 29 avril

**Lieu d'émission :** Cerisy

**Action juridique :** règlement conflit

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Patrice, archidiacre de Bayeux, délégué comme juge par le pape Adrien IV, entre le chanoine Philippe et le chanoine Geoffroy d'Amfréville, au sujet de la terre d'Escures rattachée à la prébende de Saint-Jean de Caen, rend compte de son jugement à Hugues, archevêque de Rouen, et à son chapitre.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CLI, t. 1, p. 182-183.

Texte établi d'après a

Reverendo patri et domino Hugoni, Dei gratia Rothomagensi archiepiscopo, et toti Rothomagensis ecclesiae capitulo, Patricius, Baiocensis ecclesiae archidiaconus, salutem, et reverentiam, et debitam in omnibus obedientiam. Philippus, Baiocensis ecclesiae canonicus, super eo quod quadam parte prebendae suae, videlicet de terra de Escuris, ut asserebat, injuste fuerat spoliatus, querimoniam in presentia domini papae Adriani deposuit, et sibi inde iusticiam exhiberi postulavit. Unde controversiam ejusdem Philippi adversus Gaufridum de Amfrevilla, Baiocensis ecclesiae canonicum, qui ex donatione domini Philippi, episcopi nostri, praedictam terram in praebenda possidebat, dominus Ricardus, Constantiensis episcopus, et ego, per apostolica scripta iudices delegati, congruo tempore et loco terminandam suscepimus. Diem itaque et locum agendi apud Cirisiacum, dominica qua cantatur Misericordia Domini, tertio videlicet kalendas maii, utrique parti constituimus. Ibi siquidem, utroque praecedente (sic), in praesentia plurimorum, hic (sic) inde habita verborum multitudine, Philippus, tandem communicato cum fratribus et amicis consilio, et rem in controversia deductam in manu nostra refutavit, et quod non amplius reclamaret, causae renuntiando, coram cunctis affirmavit. Ne possit igitur super hac re malignorum suggestio litem in posterum suscitare, quod inde factum est dignum duximus praesentium litterarum testimonio commendare. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo sexto, praesentibus : A. (?), abbate de Sancto Laudo ; Ricardo, episcopo, et Philippo, archidiaconis (sic) ; et de ecclesia Baiocensi : Willelmo, decano ; Henrico, praecentore ; Hunfrido, cancellario ; Roberto, subdecano ; Ricardo, succentore ; Willelmo, sacrista ; Herberto de Ponte Ilberti ; Ricardo de Ros ; Willelmo de Broilo ; Hugone de Sancto Georgio ; Tustino ; Radulfo Suhart ; Rogero

de Arreio ; Radulfo de Petrariis ; Radulfo, filio Riculfi ; magistro Durando ; Galtero, fratre Thomæ archidiaconi, et pluribus aliis.